



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi  
Servatoris Crisis Historica**

**Chifflet, Jean-Jacques**

**Antverpiae, 1624**

Cap. XI. Sudarium Vesontinum miraculis illustre: amissum, recuperatum:  
eius vi mortuus suscitatus & æger persanatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

66 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI  
taxat, & periphraſticè reddiderunt, ſic nos ad ver-  
bum Latinos fecimus:

*Manus quidem profana venerandum contundit  
caput;*

*Sed pia manus Ioannem veneratur.*

Conſtat, (ex eius historiâ apud Metaphraſtem)  
eum, cùm mater tamquam ignotum mendicum,  
& aspectu horridum, domo egrediens ſummo-  
ueri mandasset, per vim abreptum fuiſſe; & pro-  
babile eſt tum pugnis caput eius contuſum à fæce  
feruorum. Poſteſt etiam dici, vocem ἰωάννης in ſe-  
cundo verſu, ad κἀγαθὸν referri; adeoquæ verti,

*Sed pia manus Joannis [caput] colligat.*

alludendo ſic ad circulum argenteum, quo capſa  
capitis ænea cincta erat.

#### C A P V T X I.

*Sudarium Veſontinum miraculis illuſtre: amiſſum,  
recuperatum; eius vi mortuus ſuſcitatus, & æger  
perſanatus.*

**V**IDIMVS ſuprà ex Bedâ, Sudarium Domini,  
cùm adhuc in Palæſtinâ ſeruaretur, magno  
miraculo medijs è flammis intactum euaiſſe,  
Mahuuiâ Rege Sarracenorum ſpectante, circa  
annum incarnati Verbi DC. LXXV. Superſeſt vt  
aliquot

aliquot illustriora ostenta, quibus voluit Deus sanctitatem eius omnibus gentibus, & maximè Vefontioni conspicuam esse, breuiter commemorem; eaquæ solùm quæ indubitata sunt fidei, ne lapsu sæculorum consenescant, & ex hominum memoriâ oblitterentur. Ordiam autem à mortui cuiusdam anastasi.

Basilica S. Stephani fulmine icta, anno Domini M. CCC. XLIX. incendio latè grassante deflagruit; & plurima Ecclesiastica supellex, plurimæque hierothecæ flammis absumptæ: quod superfuit sacrorum pignorum, collectum sine ordine, & in scriniolum congestum est, quod exinde *Capsa omnium Sanctorum* est nuncupatum. Sudarium Domini, quia sedulò inquirentibus non occurrerat, creditum est vnà cum alijs diuinis rebus exitium passum. Tantæ iacturæ fides apud omnes paulatim creuit, ac tandem obfirmata est; ita vt memoria S. Sudarij fermè iaceret. Sed Deus non est passus pretiosissimi sui Sanguinis in illis latebris diu remanere vestigia: etenim post aliquot annos insperatò repertum est, & magno miraculo. Aduerterunt non semel è quodam abditori Ecclesiæ loco splendorem inusitatum emicare, Clerici choro ministrantes; qui subinde diuinæ virtutis significationem esse, & ibi τὸ θεῖον latere

arbitrati, rem totam Canonicis denuntiarunt. Horum iussu citra moram inquisitum, nec irrito labore: nam Sudarium Domini illuc temerè iniectum, in extremo ignis casu ( uti solet ) integerrimum detectum est, illæsum flammis, nec vlllo situ labefactatum. Stupere omnes hoc viso prodigio; multi tamen adhuc addubitare, num hoc reperi- tum, legitimum Sudarium, an verò supposititium esset censendum. Ad hoc accersiti eximij pictores duo, qui effigie sacrâ inspectâ, eam nullis colorum pigmentis aut fucis adumbratam, nec hominum manibus exaratam asseruerunt; sed sanguineis omnino vestigijs & vnguentis diffusum colorem, vno ore semper professi sunt. Accessere noua in dies prodigia, quæ vim cælestem indicabant; unde magis magisque celebrari cœpit & credi, non aliud esse, quam quod fuerat à maioribus acceptum. *Hæc ex auorum traditione & chartis antiquis:* quibus non absimilia habentur in vetusto quodam codice Ecclesiæ S. Iacobi Rhemensis, vbi postquam narratum est Vesontionem Christi Sudario insignem esse, idque aliquanto tempore deperditum fuisse; asseritur deinde tandem reperi- tum, & ob agnitam in eo diuinam Christi ima- ginem, ipsissimum Christi Sudarium iudicatum, & verò comprobatum miraculo, quandoqui- dem

dem contactu eius homini demortuo, ac proximè terrâ condendo, vita est restituta; eo planè modo, quo cadauer ad sepulchrum Vatis Elisæi, cùm tetigisset ossa eius, *renixit homo, & stetit supra pedes suos*. Fidei suæ stabilitorem aduocat Rhemensis ille codex, quemdam Robertum Sunellam in allegoriâ de obitu B. Mariæ Virginis; *Nec desunt, addit, oculati testes, quorum chirographa in Ecclesiâ Bisontina archiujs habentur*. Volutanti animo mihi, & feriò pensitanti, quisnam illius libri Rhemensis acephali auctor censerî possêt; vnus occurrit Richardus Pica, Vefontione oriundus, qui sæculi illius decimiquarti anno septuagesimo septimo; octauo supra vigesimum ab incendio S. Stephani, Rhemensem Archiepiscopatum est affecutus: quo tempore credibile est S. Sudarium recuperatum miraculo illo percelebri, quod quia in patriâ suâ contigerat, scriptis consignari voluerit ille Richardus Archipræsul, quem Historici Rhemenses fato functum scribunt Rhemis anno Domini M. CCC. LXXXIX. Vnicum eius *μνημόστυον* reperi Vefontione, argenteum cuiuspiam S. Præsulis sesquipedale signum, quod Ecclesiæ S. Petri obtulit, nomine suo sub gentilitijs scutis adscripto.

Ab hoc miraculo, & plerisque alijs, maiorum neglectu minimè consignatis, in magno cultu

S. Sudarium fuit: & toto sequenti sæculo decimo quinto, votorum feruor & numerus cœpit augeri, magnâ vndequaue multitudine concurrente, ad illud spectandum & adorandû, in Ecclesiâ S. Stephani: quâ tandem admittēdis populis angustiore visâ, theatrum extra illam excitatû est, primò temporarium & ligneum, anno M. D. XXII. ex Capituli regeſtis; dein verò perenne & lapideum, è quo bis quotannis, scilicet die Paschæ, & Dominicâ post Christi Ascensionem, Matutinis horis, populo spectandum proponeretur, in Cælio, siue S. Stephani monte, qui ad id aptissimè videtur à naturâ compositus: deuexus quippe, & ita sensim decliuus in vertice, vt exinde tamquam ex immenso theatro circumstantes omnes sacra stigmata distinctissimè cernant, nec à primis postremi, nec remotiores à proximioribus vlllo pacto impediuntur.

Anno eiusdem decimi quinti sæculi trigesimo primo, Leonardus de Grueriis Canonicus & Officialis Bisontinus, dum ancipiti morbo conflictaretur, à Collegis suis adferri sibi & ad moueri S. Sudarium postulauit: quo impetrato, eum pristinæ valetudini illicò restitutum fuisse, Capituli Acta testantur. Pollebat dubio procul eadem fide, quâ olim hæmorrhoiſſa mulier, quæ *ſimbriam* vestimenti Saluatoris contingens, salua facta est ex

Matth. 9.

*est ex illâ horâ.* Idem aliàs in Oriente factum ostendimus inferiùs, virtute cuiusdam imaginis Christi ἀχρηγομήτης, in ædes Mariæ Patritiæ languentis importatæ. Non diu tamen inualuit mos ille deferendi S. Sudarium in priuatas ægrotantium domos; eum quippe circa annum M. D. XL. abrogatum legimus: quo etiam tempore, cùm miraculorum & beneficiorum fama commoueretur, vt pretioso linteo maior exhiberetur veneratio, è veteri ἱεργ. τεύχῳ, quod altari maiori subiacet, ad amplius sacellum translatum est, & ibi decentissimè (argëteo scriniolo gentilitiis insignibus Nobilium *de Vasis & de Viletâ* ornato conclusum) super altari in armario est collocatum. Extruxerant pridem hoc sacellum S. Maimbodo Martyri Comites Môtis Beligardi, quod deinde Garnerius & Monriuellius Canonici pictis tabellis & cancellis, vnâ cum prædicto Leonardo de Gruerijs locupletarunt.

## CAPVT XII.

*Hereticus impudens causo absumptus: ciuis grauissimè laborans, & Bonus Archiepiscopus curati: obiter de Magnatum donarijs.*

**A**DEFVNCTI suscitatione, nullum miraculum illustrius eo quod è Codice manuscripto didici: